



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinque, Ad
Primam Secvndae D. Thomae**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1629

2. Quid sit bonitas obiectiva humanorum actuum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

SECTIO II.

Quid sit hæc bonitas obiectiua humanorum actuum.

I. Ratio du-
bitandi.

Ratio difficultatis est, quia hæc bonitas reperitur in entibus realibus, vt in Deo, & elemosyna: reperitur etiam in entibus rationis, vt in priuationibus & negationibus; nam velle non occidere est actus bonus ex obiecto; in illo ergo obiecto est bonitas obiectiua, estque mera priuatio, seu negatio: conuenit etiam rebus per extrinsecam denominationem realem, vt in actibus exterius, qui sunt boni, quia præcepti; & mali, qui prohibiti; nam esse præceptum, vel prohibitum denominatio extrinseca est; & tamen in illa fundatur bonitas, vel malitia obiectiua talis actus: hæc ergo bonitas in communi loquendo, non potest aliqua esse proprietas realis, alioqui nec reperiri posset in non entibus, neque oriri ex denominatione extrinseca: neque etiam esse proprietas rationis, quia, vt sæpe dixi, entia rationis sunt conficta, & vt si nihil conferrunt ad mores: neque denique potest esse aliquid commune, quia nihil tale fingi, aut excogitari potest.

II. Opinio.

In hac re potest esse eadem varietas opinionum, quæ disp. præcedenti de moralitate tractata est, & quam inferius agendo de bonitate formaliter referemus, vnde breuiter illam attingo. Prima sententia esse potest, hæc bonitatem obiectiuam in vnaquaque re tantum esse relationem conformitatis ad rectam rationem, nõ vt habet rationem legis, de quo postea, sed vt est vis representans voluntati id quod eam amare oportet; quod videtur posse sumi ex D. Thoma 1.2. q. 18. art. 1. ad 3. vbi dicit bonum vt propositum per rationem, pertinere ad genus moris.

III.

Hæc opinio intelligi potest vel proprie de respectu vt significat relationem siue realem, siue rationis; vel fundamento talis respectus, seu denominatione quæ in obiecto oritur ex iudicio rationis. Neutro autem modo potest hæc opinio esse vera, nam primò quod attinet ad relationem rationis proprie dictam; rationes supra factæ conuincunt esse impertinentem ad honestatem morum, nam hoc ipso quod intellectus iudicat elemosynam esse honestam, reuertit in illo obiecto bonitas obiectiua, & tamen nondum est orta relatio rationis donec intellectus conferat vnum cum alio, & fingat illam. Deinde propter hanc bonitatem est res digna amore; quis autem dicat rem esse amabilem propter relationem rationis? Deus enim per se, & ratione suæ bonitatis est obiectum maximè honestum, & summe diligibile, non propter relationem rationis. Denique obiecta virtutum moralium realia sunt, & tamen sunt honesta bona. Secundo de relatione reali, in primis in obiecto per rationem iudicato, nulla resultat talis relatio, sed si quæ resultat, est in iudicio ipso, ab illa autem non potest obiectum denominari bonum, sed fortasse ipsum iudicium, vnde nominatur verum, & inde etiam vt ipsum sit bonum quoddam intellectus magis ratione fundamēti, quam formalis respectus. Deinde etiam si daremus hanc relationem conformitatis esse realem in obiecto per rationem propositum, neque posset esse verum in omnibus obiectis, vt patet in Deo, neque etiam ipsa relatio quicquam conferret ad honestatem obiecti, nam præcisè lex hoc quod obiectum intelligatur esse tale, quale per rectam

rationem iudicatur, intelligatur esse honestum, & tamen in illo vt sic nondum intelligitur relatio, quia intellectus non iudicat de tali relatione, sed solum de ipsa re, & de tali proprietate illi conueniente. Vnde facile probatur etiam tertia pars de denominatione. Primo quidem, quia obiectum non denominatur à iudicio rationis nisi cognitum, vel diiudicatum, quæ denominatio non constituit obiectum bonum, sed manifestat solum id quod obiectum in se habet: vnde antequam sic denominetur, vel cognoscatur, tale est. Ac denique, quia obiecta non sunt honesta, quia iudicantur honesta, sed potius è contrario, ideo recta ratio iudicat illa honesta, quia ex se talia sunt, nam sicuti in aliis iudiciis veritas eorum fundatur in rebus, si nimirum tales sunt, quales iudicantur, ita in hoc iudicio rectæ rationis rectitudo illius fundatur in obiecto iudicato: ergo honestas obiecti non potest consistere in conformitate ad tale iudicium. Quocirca quando dici solet illud obiectum in moralibus esse bonum, quod est conforme rationi, vel intelligendum est fundamentaliter, id est, quod in se habet vnde recta ratio verè iudicet esse appetendum honestè, vel certè explicatur honestas à posteriori, & quod nos, quia nobis est data ratio, vt per eam discernamus honestum à turpi.

IV.

Secunda sententia esse potest, hanc honestatem esse positam in cõformitate ad legem: quam insinuat Conrad. 1.2. q. 19. art. 1. ad 3. dum ait rectam rationem regulando obiectum in legem æternam, vel aliam quæ sit participatio eius, dare obiecto bonitatem moralem. Et potest hoc suaderi; quia lex est mensura & regula humanarum actionum: vnde fit vt eadem omnino res realiter immutata posita lege præcipiente sit honestè appetibilis; stante autem lege prohibente fit obiectum turpe.

2. Opinio.

V.

Hæc vero sententia attingit quidem aliquid quod semper est necessarium ad hanc honestatem, vel malitiam contrariam: non tamen vniuersaliter, neque formaliter explicat in quo consistat hæc bonitas. Primò, quia lex tantum datur de humanis actibus: hæc autem bonitas & honestas latius patet, quam actus humanus, vt in præcedentibus dictum est, & patet in Deo, qui per se est obiectum honestum, quamuis de illo nulla lex dari possit, sed solum de actu, qui circa illum versatur, in quo distincta bonitas est ab illa, quæ est in Deo ipso.

VI.

Secundo, quia etiam si loquamur de bonitate actuum, illa esse potest prior quam lex, multa enim sunt obiecta honesta, quæ non sunt præcepta. Quod si quis fortè dicat vel nomine præcepti comprehendere etiam consilium, aut approbationem superioris, vel omnes actus honestos esse aliquo modo præceptos, non absolutè vt fiant, quod potest vocari quoad exercitium, sed veluti sub conditione, seu quoad specificationem, id est, quod si voluntas circa tales actus versetur, tali modo tendat, quamuis enim mihi non sit in præcepto nunc loqui, est tamen in præcepto, si velim loqui, vera loquar. Nihilominus hæc responsio non satisficit ob rationes, quas in simili supra feci tractando de ente morali, nam licet per impossibile nõ esset superior præcipiens aut prohibens; hoc ipsum obiectum, quod est mentiri, per se propositum turpe est, & è contrario dicere verum, est honestum, & ideo etiam respectu Dei intelliguntur habere has rationes, & ideo alteri ei repugnat, alterum est cõnaturale: ergo hæc honestas per se & formaliter præcindit à lege.

Ter-

XII. 3. in fine dem. n. n.

XIII. teresi in bonitate malitia appetito

VII.

Tertio, etiam in his quæ præcipiuntur, quædam præcipiuntur quia bona: ergo in eis non potest resultare bonitas ex lege, alia vero dicuntur bona, quia præcepta, in quibus si nulla sit bonitas, præcisa lege, quod raro inueniuntur, resultat quidem bonitas mediante lege. Tamen hoc dupliciter potest intelligi quod lex se habeat tanquam causa efficiens moraliter, & tunc bonitas non potest formaliter consistere in conformatione ad legem, sed in illo medio virtutis ad quod pertinet materia talis legis, & consequitur in aliqua alia conformatione ad naturalem rationem, quæ habet fundamentum in tali lege, ut v.g. lex taxans pretium rei, dat illi moralem valorem, qui non est proprie conformitas ad legem, sed moralis quidam effectus natus ex lege in ordine ad hominum existimationem: unde fit ut tanti vendere huiusmodi rem sit honestum obiectum respectu iustitiæ voluntatis, quia in illo reperitur medium iustitiæ, quod licet haberit ortum ex lege, non tamen consistit in conformatione ad illam, sed in æqualitate rei ad rem. Idem videre licet in lege præcipiente actum temperantiæ, quæ habet vim & efficaciam moralem ad præscribendum medium in illa materia, & sic de alijs. Alio autem modo potest hæc bonitas ex lege oriri quasi formaliter, quatenus hoc ipsum quod est subditi legi, & conformari illi, bonum est: & hoc sensu verum est aliquam bonitatem honestam obiectivam posse sumi ex conformitate ad legem, tamen illud & est speciale de bonitate obedientiæ, & præterea requirit conformitatem cum natura rationali, in qua consummatur formalis ratio obiectivæ honestatis, ut iam dicam.

VIII.
3. Opinio.

Tertia ergo sententia esse potest, hanc bonitatem honestam nihil aliud esse, quam bonitatem transcendentalem earum rerum, quæ sunt ex se obiecta honesta, quia nihil aliud in eis extogitari potest ad hanc honestatem, ut videtur probare ratio in principio facta, & alia argumenta contra citatas opiniones. Et præterea, quia bonum transcendens dividitur in honestum, utile, & delectabile: ergo bonum honestum comprehenditur sub bono transcendentali: ergo honestas in quocumque obiecto honesto erit talis bonitas transcendentalis eius. Confirmatur inductione, nam Deus est optimum summè honestum, hoc autem habet ratione suæ infinitæ bonitatis, quæ respectu illius est bonitas transcendentalis talis infiniti entis: & idem reperitur in quolibet actu humano, si vbi obiectum alterius actus concipiatur, nam ratione suæ entitatis, & bonitatis transcendentalis, est obiectum honeste amabile.

IX.
Hæc opinio non omnino satisfaciit.

Hæc opinio proxime accedit ad veritatem, non satis tamen explicat rem certam, nam constat non omnem bonitatem transcendentalem sufficere ad honestatem. Explicandum ergo esset quid addat honestas obiectiva supra bonitatem transcendentalem in communi. Deinde, quia multorum opinio est bonitatem transcendentalem esse absolutam per convenientiam rei ad se ipsam seu ad suum appetitum naturalem, vel elicatum, quomodo est Deus bonus sibi, etiam si nulla sit creatura: at verò hæc bonitas honesta non potest esse omnino absoluta, nam eadem res respectu huius est honestum obiectum, & non respectu alterius. Tandem lex non potest mutare bonitatem transcendentalem rerum, & tamen potest mutare obiectum de honesto in turpe, si illud prohibeat.

X.
1. Assertio.

Dicendum primò hanc honestatem obiectivam consistere in quadam convenientia obiecti

honesti per se ipsum ad naturam rationalem ut talis est. Ut explicetur & probetur hæc conclusio, de qua videri possunt dicta in *disp. 10 metaph. sect. 1. num. 12. & sect. 2. a num. 11.* suppono ex D. August. 8. de Trinit. cap. 3. & ex D. Thom. in 2. d. 27. quest. 1. art. 2. ad 1. & quest. 1. de virtut. artic. 2. ad 1. & alijs locis citandis, & ex Scoto quodlib. 18. dupliciter aliquid denominari bonum, vno modo in seipso, alio modo respectu alterius. Priori modo idem est bonum, quod perfectum, teste D. Thom. 1. p. quest. 5. art. 1. & sequentibus. & eodem sensu videtur vni nomine bonitatis. 1. 2. quest. 18. art. 1. cum inquit tantum habere vnamquam rem de bonitate, quantum habet de esse, & eodem sensu *locis citatis*, & 1. 2. quest. 9. art. 4. ad 1. censet accidentia & virtutes ipsas non esse aliqua bona, sed esse potius bonitates quasdam: quod est intelligendum in eo sensu, quo dici solet accidentia non esse entia, sed entis entia, per quod non negatur habere aliquam entitatem intrinsecam sibi, sed affirmatur illam esse imperfectam, totamque ad substantiam ordinatam. Sic etiam dicuntur accidentia non esse bona, non quia in se non habeant intrinsecam aliquam perfectionem, sed quia totam illam habent ad perficiendam substantiam, quæ tunc dicitur simpliciter & absolute bona, quando habet omnem perfectionem sibi debitam iuxta naturam suam, vt D. Thom. supra docet. Posteriori autem modo, ut aliquid sit bonum alteri, præter perfectionem suam requirit proportionem quandam, & convenientiam cum illo: quo fortasse sensu dictum est ab Arist. *amabile esse bonum, vnicuique autem proprium*, quia vnaquaque res amat quod sibi conveniens est: & hoc modo calor dicitur esse bonus igni, non aquæ, quia licet respectu vtriusque habeat eandem perfectionem, non tamen eandem proportionem, seu convenientiam. Vnde D. Thom. 1. 2. quest. 26. art. 4. dicit, quod in se est, esse absolute bonum, & simpliciter bonum, quod bonum est alteri, esse tantum bonum secundum quid sub ea ratione: de quo videri potest idem D. Thom. 3. p. quest. 11. art. 5. ad 3.

Bonū aliud absolutum.

Aliud respectivum.

XI.

In præsentia ergo bonum honestum obiectivum de quo agimus, non potest consistere in sola perfectione rei secundum se, nam hoc dicitur bonum respectu rei cui obicitur ut amandum, vel prosequendum: requirit ergo aliquam convenientiam cum natura hominis: unde fit ut ipsum esse diuinum si obicitur homini ut sibi appetendum, non habeat rationem obiecti honesti, quia est quid homini improprium: si vero proponatur ut amandum Deo, fit obiectum honestissimum & proportionatum homini: ergo hoc honestum ut tale est requirit formaliter convenientiam & proportionem cum natura rationali. Addendum tamen hanc convenientiam esse debere, cum natura rationali, ut rationalis est, & recta ratione gubernari potest, quia hæc honestas est supremæ bonitas quæ in eo genere convenientiæ esse potest respectu hominis: ergo debet esse secundum perfectissimum gradum & supremam perfectionem quæ in homine est: ergo debet attendi penes naturam rationalem ut rationalis est: & è contrario cum ratio bonitatis in communi respectu alterius consistat in aliqua convenientia, in hac convenientia ad naturam rationalem posita erit aliqua bonitas, sed illa non est veritas, nec delectabilitas, ut per se constat: ergo est honestas. Vnde etiam in alijs rebus inferioribus bonitas, quæ est per convenientiam ad naturam, est distincta à delectabili & utili, & lato modo vocatur honestas: proprie ergo talis erit, si sumatur

Bonum respectivum est de quo agitur in præsentia.

matur per convenientiam ad naturam rationalem ut sic.

XII. *Obiectio 1.* Dicit aliquis primo, ergo incidimus in primam sententiam improbatam, nam idem videtur esse conueniens naturæ rationali, ut sic, quod conforme rectæ rationi. Respondetur eandem rem esse, non tamen eundem respectum, & ita simpliciter negatur consequentia: quia hæc conuenientia ad naturam rationalem non respicit dictamen rationis, sed naturam ipsam secundum se; ratio autem solum est applicans & proponens quid conueniat naturæ, & tunc habet dictamen rectum quando res ipsa ita conuenit naturæ sicut iudicatur, ut si quis posset cognoscere calorem sibi esse conuenientem, non esset calor conueniens propter conformitatem cum iudicio, sed propter proportionem cum natura ipsius, sicut etiam sensus aliquo modo apprehendit quod naturæ sensitiuæ conueniat, & tamen illa conuenientia non est per ordinem ad cognitionem sensus, sed per ordinem ad consistentiam, seu conseruationem naturæ.

XIII. *Obiectio 2.* Dices secundo. Ergo bonum honestum ut sic, tantum est amabile illo amore concupiscentiæ, qui dicitur esse proprii commodi, quia tantum amatur ut propria naturæ rationali conueniens: consequens autem est falsum, nam potius amor commodi, & amor iustitiæ, qui est amor honesti, ut sic, distinguuntur, ut patet ex Anselmo. *lib. de casu diab. cap. 12.* Respondetur æquiuocationem esse in vocabulo conuenientia: interdum enim sumitur conueniens pro eo quod est alicui ita commodum, ut ei aliquam perfectionem & quasi utilitatem afferat, & hoc modo sumitur in obiectione. Alio verò modo dicitur conueniens quod per se decet aliquo modo, & est consentaneum naturæ, & inclinationi eius; sic dicitur Incarnatio conueniens Deo, & bonitati eius, & similiter misereri & liberaliter se communicare, & similia sunt obiecta maxime conuenientia Deo, quia sunt proportionata perfectioni & magnitudini eius. Huiusmodi ergo conuenientiam, vel proportionem requirit, per se loquendo, honestum ut honestum respectu rationalis naturæ, quia potest obiectum esse tale, ut considerata dignitate naturæ rationalis, illam deceat, seu illi sit consentaneum amare, seu proficere tale obiectum. Vnde multa sunt huiusmodi obiecta, quæ vel nullam commoditatem afferunt præter ipsam honestatem virtutis, vel non propterea intenduntur, imo ipsa naturæ commoditas nisi hac posteriori ratione informetur, & per se conueniens censeatur homini, ut sic non habebit rationem obiecti honesti, nec sufficiens ad dandam actui honestatem, ut supra in sinuarum est, & latius dicitur inferius.

XIV. *2. Assertio huiusmodi.* Dicendum secundo. Hæc honestas obiectorum moralium interdum fundatur in perfectione, & proprietatibus realibus, & physicis ipsarum rerum, interdum vero requirit ulterius proprietates morales ortas ex actibus humanis, seu liberis. Prior pars constat exemplis, nam Deus per se est maximum bonum, solum ratione suæ perfectionis & naturalis proprietatis: similiter subleuare miseriam pauperis, seu dare eleemosynam est consentaneum naturæ humanæ, quia per hanc reposita subleuatur necessitas proximi, & sic de aliis. Ratio est, quia quædam sunt res per se & ratione suæ perfectionis entitatiuæ; consentaneæ naturæ humanæ, vel quia sunt vltimus finis eius, ut Deus, vel quia contingunt hominem cum illo fine, ut cognitio, vel amor Dei, quia ex se rectè disponunt hominem in ordine ad talem finem, vel remotè, ut iustitiæ, &c. hinc enim

sic ut tales res sint proportionate naturæ rationali quatenus est capax beatitudinis, & ad illam inclinatur, & ideo etiam actus tendens in talia obiecta, rectus dicitur, quia per illum homo rectè tendit in finem sibi debitum.

Posterior verò pars etiam constat exemplis, quia restituere alienum, est per se bonum, & consentaneum homini, quæ honestas non fundatur in sola physica entitate vel perfectione, nam esse propriam rem vel alienam, est proprietas moralis, non physica, & in illa fundatur prædicta honestas: idem est de hac denominatione quod res sit præcepta, &c. Ratio vero etiam est facilis ex supra dictis, quia licet istæ proprietates nihil physicum ponant in rebus præter denominationem, tamen in ordine ad humanos vsus, vel actus, sunt magni momenti, quatenus manent in estimatione hominum, & iuxta illam variatur ordo ad rectam rationem, & ad conuenientem vsus rerum, & subordinatorem inferioris ad superiorem, & ad pacem, & debitam societatem hominum: ob hanc enim causam per se decens est implere promissionem, parere superiori, & vnicuique seruare ius suum: nam hinc etiam est quod vna voluntas possit esse regula alterius, & habeat vim inducendi obligationem, vel moralem necessitatem, & sic de cæteris proprietatibus moralibus; tamen in obiecto voluntatis non requiritur maior realitas seu entitas, quia intentionaliter mouet media cognitione, & ideo satis est, quod in rebus habeat sufficiens fundamentum ad variandam prudentem hominum estimationem, & actionem.

Dicendum tertio. Conuenientia illa, quam bonum honestum dicit ad naturam rationalem, præter rei entitatem, vel moralem proprietatem explicatam, nihil addit in ipso obiecto, sed connotat in homine naturalem aliquam inclinationem ad capacitatem, seu coniunctionem cum illo obiecto, seu (quod idem est) dicit denominationem aliquo modo extrinsecam consergentem ex coexistentia plurium rerum. Hanc conclusionem sumo à simili Dur. *in 2. d. 34. q. 1. n. 6.* Et in primis probatur à sufficienti enumeratione, quia hæc conuenientia non potest addere proprietatem aliquam, vel qualitatem absolutam & realem, quia, ut dicebamus circa tertiam opinionem *n. 9. in fine*, eadem res cum eisdem proprietatibus absolutis potest esse conueniens vni, & non alteri; & deinde quia nec fingi, nec satis concipi potest talis res absoluta. Quod vero non fit relatio realis, ex dictis etiam patere potest, tum quia aliquod est bonum honestum quod non est capax talis relationis, ut Deus, & Verbum diuinum respectu humanitatis Christi: tum etiam, quia esto, possit insurgere talis relatio prædicamentalis, in intentione boni honesti non intenditur talis relatio: sicut etiam bonum delectabile fundatur in bono naturæ conuenienti ut sic, ut latè Cai. *1. 2. q. 32. art. 1.* & tamen non fundatur in relatione: neque enim delectat relatio, sed res ipsa accommodata naturæ. Denique relatio rationis propriè & in rigore sumpta, iam etiam exclusa est, quia solum habet esse fictum & cognitum per intellectum: ergo nihil superest quod esse possit præter denominationem prædictam, seu connexionem plurium rerum quas vox conuenientia connotat, seu includit.

Potest præterea hoc sic declarari, nam quando vna & eadè res est bona vni & nõ alteri, semper inter priores intercedit aliqua realis connectio, seu habitudo transcendentalis, quæ non intercedit inter alias, ut si color est bonus igni, & non

XV.

XVI.

3. Assertio.

XVII.

non aqua, aliquam connexionem habet cum forma ignis, à qua resultat ex natura rei, & ideo illa forma habet naturalem appetitum ad illam proprietatem quæ nõ conuenit formæ aquæ: cum ergo dicitur calor conueniens igni, significatur tota perfectio caloris, & connotatur illa naturalis annexio, quæ est inter calorem & formam ignis. Sic ergo in obiecto honesto, in primis requiritur ut tale sit: deinde connotatur aliqua conuexio quam habet cum natura rationali, & consequenter in illa connotatur capacitas ad tale obiectum: ut in exemplis positis, Verbum diuinum est maximum bonum humanitatis Christi, in quo significatur & perfectio Verbi diuini, & coniunctio humanitatis ad ipsum, sic etiam Deus aliter est bonum, & finis hominis, & aliter lapidis, quia in eo est alia capacitas quam fit in lapide. Quod ergo Deus sit homini conueniens, significat in Deo perfectionem, & connotat in homine capacitatem: conuenientia ergo nihil aliud esse potest quam denominatio orta ex huiusmodi rebus, & earum coexistentia, seu connexionem; illud ergo obiectum honestum est tale, quale exigit dignitas, seu capacitas naturæ humanæ secundum propriam inclinationem rationalem.

XVIII. Solum video posse obijci contra hoc, quia si hæc doctrina vera est, superflua erant omnes relationes prædicamentales, præsertim quæ fundantur in vnitatem, quia seclusa tali relatione, potest res denominari similis, vel conformis, solum connotando coexistentiam alterius; quod concedit consequenter Durand. sed hæc disputatio ad nos non spectat: solum duo sunt dicenda, primum est, quidquid sit de alia necessitate harum relationum, non posse negari quin ante illas sit fundamentalis conuenientia, à qua potest aliqua denominatio etiam sumi, Secundum est, in præfenti neque esse necessarias tales relationes, quia istæ, (si sunt,) non resultant ex quatuor proportionibus, sed ex formali vnitatem, seu conformitate in natura: hæc autem conuenientia, de qua agimus, non in hoc consistit, sed in proportionem tantum.

XIX. Ad rationem dubitandi in initio positam iam dictum est hanc honestatem esse aliquo modo realem, non tamen oportere ut semper sit per modum entis physici, sed satis esse quod sit per modum entis morali, & hoc est satis ut possit aliquo modo concipi in communi, sicut concipiens, & abstrahens à physico, & morali, nam quale est esse vniuersi cuiusque rei, ita potest habere bonitatem. Et hinc constat quid dicendum sit de obiectis priuatis, nam in primis satis est ut in eis reperiatur honestas fundata in aliqua proprietate morali, ut est esse prohibitum, vel præceptum. Deinde priuatione secundum se considerata non habent appetibilitatem nisi ratione positiui, & eodem modo habere possunt honestatem quasi per denominationem ab ea honestate quæ est in re positiua, semper tamen priuatio est hoc modo honesta, non per modum entis rationis, sed secundum illud esse quod habere potest in rebus.

XX. Ex dictis de bonitate obiectiua, facile est intelligere quid sit malitia, quoniam hæc bonitati contrariatur, sicut bonitas fundatur in re conuenienti naturæ rationali ut sic, ita malitia consistit in disconuenientia, quæ interdum fundari potest in rebus ipsis, vel priuationibus realibus, interdum in aliqua proprietate, seu prohibitionem morali. Vtrum verò hæc disconuenientia sit tantum per modum priuationis, vel interdum etiam per modum rei positiuæ, seu an fundari

possit in positiuo ut positiuum est, vel solum ut habet priuationem adiunctam, dicemus latè in disp. 7. sect. 5. & 8. agentes de formali malitia actuum interiorum, quia in hoc est quæstio eiusdem rationis.

Atque hinc etiam constat quid dicendum sit de obiectis indifferentibus, & quidam sit indifferentia eorum: nam quod aliqua obiecta sint talia sumitur apertè ex D. Thom. 1. 2. q. 18. art. 8. & 9. & constat inductione, nã loqui nunc, vel deambulare, est obiectum indifferens, quia de se neque bonum, neque malum est: & hæc est huius rei ratio, quia hæc bonitas & malitia obiectiua non sunt ita immediate opposita, quin possint habere medium saltem ex parte subiecti per negationem vtriusque formæ. Vnde etiam colligitur ad hanc indifferentiam in obiecto duo requiri. Primum ut in tali obiecto sit aliqua ratio inferioris boni, ob quam sit appetibile, nam si hanc non habeat, non poterit esse obiectum voluntatis per se, neque poterit illi dare ex vi sua aliquam speciem. Secundum est ut in se non habeat honestatem sibi debitam, neque oppositam malitiam.

Dices: Hoc ipso quod non habet honestatem, erit malum obiectum. Respondetur negando consequentiam, quia non omnis negatio honestatis est malitia, sed negatio honestatis debet fieri autem potest ut tali obiecto secundum se & ut tale est, nulla debeatur obiectiua honestas, & ut nihil etiam habeat per se dissonum, aut repugnans rationi, seu naturæ rationali quatenus talis est.

SECTIO III.

Vtrum actus humani sumant honestatem obiectiuam ex obiecto, sine, & aliis circumstantiis, & quomplex illa sit.

IN præcedenti sectione explicui generali quadam ratione fundamentum huius honestatis: hic verò oportet magis in particulari, magisque ad rem moralem explicare principia & radices huius honestatis, vnde obiter constabit quomplex illa possit esse in obiecto morali: proposui autem quæstionem de actibus humanis, licet, ut supra dixi, alia res possint habere honestatem obiectiuam, tamè obiecta & circumstantiæ moralia propriè reperiuntur in actibus humanis: verum ea quæ dicemus poterunt facile, seruata proportionem accommodari ad res alias: & eodem modo loquar semper de actibus externis, quæ sunt frequentiora obiecta actuum interiorum: inde tamen constabit quid dicendum sit de actibus internis, quatenus per reflexionem aliquam possunt esse obiecta aliorum actuum interiorum. Deinde supponendum ex D. Thom. 1. 2. quest. 18. art. 6. & quest. 1. de malo. art. 4. licet actiones exteriores sint obiecta voluntatis internæ, tamen ipsæ etiam suo modo habent obiecta sua, ut constat apertè in actibus intellectus, vel appetitus sensitui, vel sensuum exteriorum, nam omnes isti actus vocantur externi in præfenti: atque idem est de aliis actionibus exterioribus quæ subordinantur voluntati, quæ omnes reducuntur ad motionem localem, & obiectum earum esse censetur materia circa quam versantur formaliter sumpta, & ut ad mores pertinet, nam locutionis, ut v.g. obiectum esse cõfetur res quæ significatur: actionis autem elemosynæ est miseria proximi ut suble-

XXI.
Quid sit obiectum indifferens.

XXII.

I.
Notatio-na pro resolutione.

Notatio altera.